

(122a)

Missæ pro aliquibus locis (Orationes D. N. J. C.)

FER. III POST DOM. QUINQUAG.

MISSA DE SANTISSIMÆ  
FACIES D. N. J. C.

Introitus      Philip. 2, 8—9

HUMILÁVIT semetípsum Dóminus Jesus Christus usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod et Deus exaltávit illum, et donávit illi nomen, quod est super omne nomen (T.P. Alleluia, Alleluia). Ps. 88.2. Misericórdias Dómini in ætérnum cantábo: in generatiómem et generatiómem. V. Glória Patri.

Oratio

DÓMINE Jesu Christe, cuius sacratíssimus Vultus, in passióne abscónditus, sicut sol in sua virtúte relúcet: concéde propítios; ut tuis passiónibus communicántes in terris, in revelatióne gloriæ tuae gaudére valeámus in caelis. Qui vivis et regnas.

Léctio Zacharí Prophétæ.

Zach 12, 10—11; 13, 6—7

HAEC dicit Dóminus: Effúndam super domum David, et super habitátóres Jerúsalem spíritum grátiæ et precum: et aspícient ad me, quem confixérunt: et plangent eum planctu quasi super unigénitum, et dolébunt super eum, ut doléri solet in morte primogéniti. In die illa magnus erit planctus in Jerúsalem, et dicétur: Quid sunt plagae istae in médio mánuum tuárum? Et dicet: His plagátus sum in domo eórum, qui diligébant me. Frámea, suscitáre super pastórem meum, et super virum cohæréntem mihi, dicit Dóminus

exercítuum: percúte pastórem, et dispergéntur oves: ait Dóminus omnípotens.

Graduale IMPROPÉRIUM expectávit cor meum, et misériam: et sustínui, qui simul mecum contristaréatur, et non fuit: consolántem me quæsívi, et no invéni. V. Dedérunt in escam meam fel, et in siti mea potavérunt me acéto.

ALLELÚIA allelúa. V. Ave, Rex noster: tu solus nostros es miserátus erróres: Patri obédiens, ductus es ad crucifigéndum, ut agnus mansuétus ad occisiómem. Allelúa.

Post Septuagesima, omissis Alleluia, et Versu sequenti, dicitur.

Tractus Isai. 53, 4—5 VERE languóres nostros ipse tulit, et dolóres nostros ipse portávit. V. Et nos putávimus eum quasi leprósum, et pecússum a Deo, et humiliátum. V. Ipse autem vulnerátus est propter iniquítates nostras, attritus est propter scélera nostra. V. Disciplína pacis nostrae super eum: et livore ejus sanáti sumus.

Tempora autem Paschali omititur Graduale, et ejus loc dicitur:

ALLELÚIA, Allelúa. V. Ave, Rex noster: tu solus nostros es miserátus erróres: Patri obédiens, ductus es ad crucifigéndum, ut agnus mansuétus ad occisiómem. Allelúa. V. Tibi glória,

hosánna: tibi triúmphus et victória: tibi summæ laudis et honóris coróna. Allelúia.

¶ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

*Joann. 19, 28—35*

IN illo témpore: Sciens Jesus, quia omnia consummáta sunt, ut consummarétur Scriptúra, dixit: Sítio. Vas ergo erat pósitum acéto plenum. Illi autem spóngiam plenam acéto hyssópo circumponéntes, obtulérunt ori ejus. Cum ergo accepísset Jesus acétum, dixit: Consummátum est. Et inclináto cápite trádidit spíritum. Judæi ergo (quóniam Parascéve erat), un non remanérent in cruce córpora sábbato (erat enim magnus dies illi sabbati), rogavérunt Pilátum, ut frangeréntur eórum crura, et tolleréntur. Venérunt ergo mílités: et primi quidem fregérunt crura, et altérius, qui crucifixus est cum eo. Ad Jesum autem cum veníssent, ut vidérunt eum jam mórtuum, non fregérunt ejus crura, sed unus mílitum láncea latus ejus apéruit, et contínuo exívit sanguis et aqua. Et qui vidiit, testimónium perhíbuit: et verum est testimónium ejus.

**Offertorium** INSURREXÉRUNT in me viri iníqui: absque misercórdia quæsiérunt me interficere: et non pepercérunt in Faciem meam spúere: lánceis suis vulneravérunt me. et concússa sunt ómnia ossa mea (*T.P. Alleluia*).

### Secreta

PROTÉCTOR noster, áspice, Deus, et résponce in Fáciem Christi tui, qui tibi semetípsum pro nobis hóstiam óbtulit: et praesta; ut eámdem immaculátam hóstiam offeréntes, ipsi quoque in holocáustum tibe accéptum transeámus. Per eúmdem Dóminum.

### Præfatio de Cruce

*Communio Ps. 21, 17—18*

FODÉRUNT manus meas, et pedes meos: dinumeravérunt omnia ossa mea (*T.P. Alleluia*).

### Postcommunion

FÁCIAM tuam, quaesumus, Dómine, super nos benígnus illúmina: ut tuas justificatións édocti, per haec sacrosáncta mystéria blandiéntem mundum elúdere et persequéntem superáre possímus. Qui vivis et regnas.

*S.C.R. Decreta, vol. 1910, p. 189a*